his intellegere quam lego; opera dei elaborata me cogunt. Sub
venit apostolus estuanti, et quod ego non intellegebam quid esset: os de os
sibus meis et caro de carne mea, et hec vocabitur mulier quoniam de
viro suo sumpta est, divino mihi spiritu revelavit dicens: sacramentum hoc
magnum est. Quod sacramentum? Ergo duo erunt in carne una; et quia
relinquet homo patrem et matrem et adherebit uxori suae, et
quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Quis est iste
vir, propter quem mulier parentes relinquit? Relinquit parentes ec-
clesia, quae de gentilibus ipsis segregata est, cui prophetice dicitur: oblivi
scere populum tuum et domum patris tui. Propter quem? virum non forte illum
de quo dicit Iohannes: post me venit vir qui ante me factus est, de cuius late
re dormientis costam deus sumpsit. Ipse est enim qui dormivit et quievit
et resurrexit, quoniam dominus suscepit eum. Quae est huius costa nisi virtus?
Nam tunc quando miles latus eius aperuit, continuo aqua et sanguis exivit,
qui effusus est pro seculi vita. Hec seculi vita costa Christi est. Hec costa secundi
est Adae. Primus enim Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum
vivificantem. Novissimus Adam Christus est, costa Christi vita ecclesiae est.
Nos ergo membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Et for-
tasse hec est costa de qua dixit: sentio de me virtutem exisse. Hec
est costa quae de Christo exivit nec corpus eius imminuit. Non enim cor-
poralis sed spiritalis est costa. Spiritus autem non dividitur ipse, sed dividit sin
gulis prout vult. Hec est Eva mater omnium viventium. Si enim intel
legas viventem cum mortuos quaeris, intellegis eos mortuos esse
qui sine Christo sunt, qui participes vitae non sunt. Hoc est enim Christi non esse par-
ticipes, quia Christus est vita. Mater ergo viventium ecclesia est, quam edifi
cavit deus ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis
structura compaginata crescit in templum dei. Veniat ergo deus, edifi
cet mulierem illam, quae de adiutrice Adae, hanc vero Christi; non quia Christus
adiumentum requirat, sed quia nos quaerimus et desideramus ad Christi gratiam
per ecclesiam pervenire. Et nunc edificatur et nunc formatur et nunc mulier

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 64 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/64)